



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

114. An in casibus exceptis liceat iudicibus sæcularibus sine licentia
Episcopi reos ab Ecclesiae extrahere? Ex part. 4. tr. 1. res. 42.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

De Immunit. Eccles. Resol. CXI. &c. 65

etiam Carcerarij, quatenus deberent restituere dictum extractum Ecclesie predictae, vel procurare eius restitutionem, & non impedire respectu ad finem, quod si constiterit Curiae Archiepiscopali à dicto delinquente fuisse commissum delictum exceptum in Bulla, posset eidem Curiae saeculari consignari: qui non aliter procuraverunt; sed post breue tempus laqueo suspendi fecerunt: & sic per Curiam Archiepiscopalem fuerunt declarati excommunicati omnes praedicti Iudices, Fiscales, Carcerarij satellites, & sanguinei occisi, qui extraxerant dictum iuvenem à dicta Ecclesia. Itra Genensis. Vnde apparet, omnes reos extractos ab Ecclesia vi, vel dolo per quoscunque personas, esse à iudice laico Ecclesiae restituendos: & si aliter fecerint, in excommunicationem, & poenas Bullae Gregorianae incident.

RESOL. CXI.

An reus amittat Immunitatem, qui deceptus fuit subtilis verbis, & fallacijs ad egrediendum ab Ecclesia, & index possit illum punire? Ex part. 1. tract. 1. Ref. 26.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Bonacin. de leg. disp. 3. §. 7. §. 2. n. 10. Filliucius tom. 1. tract. 15. cap. 6. n. 154. Duard. in Bulla Cœn. lib. 2. can. 15. §. 16. n. 34. Fagundez de Praep. Ecc. tract. 2. lib. 4. cap. 4. num. 56. qui citat Suarez, & Nauarum; quamobrem asserit: [Videant delinquentes, ne se falli sinant: vbi primum enim à loco sacro sponte egrediuntur, hanc immunitatem amittunt: Fallit tamen hoc, iuxta Syluest. verb. immunit. 3. n. 34. nisi exeant ad requisita natura, cui libenter adhaere: indecens enim est: vt Ecclesia Dei: & locus sacer, qui omni odorum suffimento olere debet, his immunditijs sordescat.] Ita Fagundez. 2. Non reticebo tamen, contrarium docere Bobadil. in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. n. 80. ibi. [Aunque por palabras blandas: o engañosas, o promessas, &c.] Idem docet Villadiego in Polit. cap. 3. num. 222. & noster P. Megal. in 3. p. lib. 4. cap. 2. quæst. 1. num. 32. vbi asserit. Et praedicta procedunt, etiam si blandis verbis, vel fallacijs à ministris Iustitiae, vel Iudice inductus delinquens sponte exire. Vnde hæc sententia in fauorem Ecclesiae amplectenda videtur, & illam etiam docet Masfrill. heu quondam noster lib. 2. decis. 169. num. 12.

RESOL. CXII.

An index laicus violet immunitatem Ecclesiae, si carceret aliquem a personis priuatis per vim extractum ab Ecclesia?

Et notetur, quod priuata persona, qua extraxit aliquem ab Ecclesia, afficitur censura Ex part. 4. tract. 1. Ref. 102.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Suarez de Religionem tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 13. num. 17. & 19. in fine, quia talis index, vt suppono, non fuit particeps extractionis: ergo non incurrit poenas. 2. Sed ego affirmatiuam sententiam prorsus tenendam esse puto, quia illa extractio irrita fuit & nulla: ergo extractus illicitè, nec iuridicè potuit à iudice laico incarcerationi, quamdiu per extractum non stetit, ne in loco sacro responderetur. Adde quod Gregorius XIV. in sua Constitutione interdixit illas actiones per particulam vel, quae est alternatiua, ibi capere, extrahere, aut carcerare, & ita docet Bonacina in Decalog. disp. 3. quæst. 7. punct. 9. num. 10. Valentia tom. 3. Tom. IX.

disp. 6. quæst. 15. punct. 1. ad 2. & Genens. in praxi c. 17. num. 6. vbi etiam rectè notat cum Peregrino de immunitate cap. 14. num. 10. & alijs contra Gambacurtam lib. 8. cap. 7. num. 4. & 5. quod priuata persona quæ extrahit aliquem ab Ecclesia afficitur censura.

RESOL. CXIII.

An si constaret notorie reum non gaudere Immunitate Ecclesiae, possit illum index saecularis extrahere ab Ecclesia sine licentia Episcopi? Ex part. 1. tr. 1. Ref. 14.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Gambacurt. lib. 6. cap. 14. & lib. 8. cap. 10. Villadiego in Polit. cap. 3. num. 238 & ante Bullam Gregor. probabiliter docuerat Suarez de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 3. c. 11. 2. Sed hodie post Constitutionem Gregor. XIV. vt notat Filliucius tom. 1. tract. 15. cap. 6. num. 154. & Durandus in Bulla Cœn. lib. 2. can. 15. quæst. 16. num. 31. hæc opinio est prorsus repellenda, & non audeant Iudices illam in praxi obseruare, nam sine dubio excommunicationem incurrerent, & contra sacram immunitatem efficerent. Et ita fuisse decisum in Curia Archiepiscopali Neapolitana, testatur Genens. in praxi, cap. 17. num. 5. & Riccius, p. 5. collect. 1791. & idem docet Lazarius tract. de Blasphem. quæst. 5. n. 71. vbi sic ait: [Forma huius Constitutionis seruanda est etiam si confitentem ad Ecclesiam, notorium sit, commississe delictum exceptatum in ea: adhuc enim Episcopus debet prius cognoscere, an hoc sit verum; & postea cõsignare reum Curiae saeculari: alijs extrahentes i current censuram & reus est Ecclesiae restituendus] Hoc etiam docet Farinac. in Append. immunit. cap. 22. numer. 359. Raynerius in Catal. censur. capite, 9. excom. 31. notab. 3. & nouissimè Franc. Zipæus in sua Anal. Iur. can. lib. 3. de immunit. Eccles. n. 12. cum nostro P. Megala in 3. part. lib. 4. c. 2. §. 1. num. 31. vbi asserit, formam huius Constitutionis esse seruandam, licet notorie cõstet reum commississe delictum in hac Extrauaganti exceptum, nam etiam si notorium releuet ab onere probandi cap. vestrade cohabit. Cler. & null. tamen non releuat, quando probatio requiritur pro forma. Hæc ille, & alij, Ex quibus constat, me his diebus elapsis in quodam supremo Ministro Regio rectè opinionem Gambacurtæ reprobasse, illum à tali sententia amouendo.

Sup. hoc in duabus Ref. seqq.

RESOL. CXIV.

An in casibus exceptis liceat iudicibus saecularibus sine licentia Episcopi reos ab Ecclesia extrahere? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 42.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Ludouicus Correa in relect. ad cap. inter alia, de immunitate Eccles. part. 4. num. 10. Acugna in Decret. Gratian. part. 1. disp. 87. cap. 6. num. 7. Iulius Clarus lib. 5. quæst. 30. §. fin. num. 20. Covarr. lib. 2. variar. cap. 20. n. 18. Guido Papa decis. 121. num. 1. Boerius decis. 109. n. 2. Guilielmus de Benedictis in repet. cap. Raynuius ver. & vxorem, num. 444. & alij testantes ita obseruati in praxi.

2. Sed hodie hæc sententia non potest sustineri, stante Bulla Gregor. XIV. vt ego ipse satis firmaui in part. 1. * resol. 14. cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Ambrosinum de immunitate cap. 11. * Quae hic num. 1. Simonem Rao in respons. ad dubia super immunit. Eccles. fol. mibi 27. vbi citat Aufretium, Vulpellum, Cynum & Syluestrum, & nouissimè Peregrinum

Sup. hoc in Ref. praeterita, & in Ref. seqq.

Quae hic est Ref. antecedens.

Peregrinum de immunit. cap. 14. num. 6. vbi sic ait. In casibus exceptis, si iudex, vel alius minister iustitiæ, absque licentia Episcopi, vel eius Officialis, & interuentu personæ Ecclesiasticæ à dicto Episcopo, vel eius officiali auctoritatem habente, per vim extrahat reum qui confugit ad Ecclesiam, graue sacrilegium committit, & incurrit in excommunicationem, & penas contra sacrilegos prædictos statutas. Patet hæc conclusio ex præsentis constitutione Gregorij Papæ XIV. in illis verbis. [Volumus dictaque auctoritate decernimus & declaramus, vt curia secularis eiusque Iudices & Officiales ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris prædictis laicum aliquem vt præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus prædictis (exceptis) sine expressa licentia Episcopi, vel eius officialis, & cum interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiam aliis Ordinarij sint, aut nullius diocesis, aut Conseruatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diocesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios capere, extrahere, aut incarcerare, nisi eo casu, quo ipse Episcopus & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis (exceptis) superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi interuenire & assiltere reculerint, tuncque reuerentiæ Ecclesiæ & locis sacris debita memores prædictos delinquentes mino ri quo id fieri poterit cum scandalo & tumultu extrahere curent.] Hodie tamen cessat per prædictam constitutionem Pontificiam. Ita Peregrinus, & ego.

RESOL. CXV.

An iudices laici possint sine licentia Episcopi extrahere reos, qui commiserunt crimina exceptuata, qua non gaudent Immunitate? Ex part. 6. tract. 1. Ref. 28.

Sup. hoc in duabus præcedentibus Ref.

§. 1. **A**firmatiuam sententiam docet Sarpus cap. 6. fol. 61. vbi sic ait. Vidimus hæcenus, quibusnam sacris locis immunitas tributa fuerit: & quam reorum conditio nequeat ab iis diuelli. Reliquum modò est, vt videamus, cum reus aliquis ad Ecclesiam confugit, à qua iure abstrahi possit, quam auctoritate id efficiendum fuerit. Quocirca communis est omnium opinio, Laicum iudicem auctoritate, quæ nunc temporalis dicitur, absque Ecclesiastici Præsulis venia,prehendendi ius tribuere, atque vt particiatur mandare. Cuius sanè rei claræ admodum & efficaces sunt causæ. Ecclesiarum namque immunitas non violatur, si per vim quispiam in ea comprehenditur, qui tamen eiusmodi defendi non potest immunitate: sed nemo in atrocioribus delictis ea passim vt potest; igitur à quocumque emprehendatur, Ecclesiarum immunitas illæsa est. Huc acceditprehendendi facultatem ab iis peti decere, qui negare possint: sed Ecclesiasticus eam negare nequit, quæ à lege tribuitur: quare ab ipso non est petenda. Ita ille.

2. Sed negatiuam sententiam sustinendam prorsus esse puto, cui assiluit ius commune, & constitutio Gregorij XIV. Probatum primò ex iure Canonico in cap. frater 17. quæst. 4. vbi prohibetur potentioribus secularibus reum inuitum ab Ecclesia extrahere non captata Sacerdotis licentia: ergo, signum est Sacerdotis licentiam requiri. Item facit textus in cap. definitiuit 17. quæst. 4. in quo datur facultas reddendi Ecclesiæ extractum sine consensu Sacerdotis;

vbi Archidiaconus & alij obseruant hoc procedere etiam ad publicum Latronem, & sic ad casus exceptos.

3. Probatum secundò ex iure ciuili per textum in leg. paream. in fin. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt: vbi licet Imperator extrahi posse statuerit confugientem in Ecclesiam cum armis, si monitus arma non deposuerit; adhuc fieri tamen non posse voluit Episcopo inconsulto: & reddit rationem, ne scilicet si multis passim hoc liceat, confusio generetur. Et licet ibi Imperator requiratur cum Episcopo etiam suorum iudicium iustionem; tamen ipse nihil in materia immunitatis contra sacros Canones potuit statuere, Sufficit nobis per dictum textum demonstrare, quod etiam de iure Ciuili Imperatores voluerunt confugientes ad Ecclesiam extrahi non posse inconsulto Episcopo. Vide etiam Authen. Siguis. Cod. ad leg. Inl. de adulter, in §. final. vbi statuitur, quod si maritus inuenit in Ecclesia hominem sibi de adulterio suspectum cum vxore sua loquentem; debet virumque defensori Ecclesiæ, aut aliis Clericis tradere, vt seruentur, donec secularis iudex, qui de hoc cognoscere debet, requiratur Episcopum, vt illos ipsi tradat quod etiam probatur ex Authent. de manda. Princip. §. Sed neque, in illis verbis: Auxiliabimur autem tibi ad hoc etiam Deo amabiles Ecclesiarum defensores & Oeconomus. Et ratio est, quia captura reorum, vt patet, est actus iurisdictionis, qui in alieno territorio exerceri non potest ex leg. extra Territorium ff. de iurisdic. & in cap. 2. de constitut. in 6. Ergo Iudex Laicus non potest exercere iurisdictionem in Ecclesia, quia non est de districtu Principis secularis, sed de Territorio iudicis Ecclesiastici, vt probat Cardinalis Tuschus verb. Ecclesia conclus. 5. num. 10. & Carolus de Grassis, effect. 1. num. 617. Farinacius consil. 214. n. 3. lib. 3. & me citato Ciurilinus controuers. forens. c. 10. num. 5. & alij penes ipsos. Vnde hanc sententiam in terminis iuris communis tenent Doctores, quos citat & sequitur Farinacius de immunit. cap. vlt. num. 356. Caballus in questionibus criminal. cap. 194. num. 12. & Guallinus tom. 1. in defens. cap. 31. num. 3. Rolandus à Valle lib. 1. consil. 14. num. 15. & Ioannes VViggers de iustit. & iure tract. 8. cap. 6. dub. 26. num. 172.

4. Sed, hæc difficultas prorsus cessat hodie stante constitutione Gregoriana, vbi, clarè & expressè statuitur seculares iudices non posse sine Episcopi licentia aliquem ab Ecclesia extrahere; etiam in ipsis casibus exceptuatis. Et ita ego cum multis Doctoribus satis firmam in part. 1. tract. 1. resolut. 14. vnde si in casibus exceptis iudex vel alius Minister absque licentia Episcopi, & interuentu personæ Ecclesiasticæ à dicto Episcopo, vel eius Officiali auctoritatem habentis, per vim extrahat reum in Ecclesia existentem, sacrilegium committit, & incurrit in excommunicationem. Vide Doctores à me in citata resolut. congestos, quibus adde Chartarium decis. crimin. 46. nu. 87. & Ciurilinum in controu. forens. lib. 1. cap. 10. num. 33.

5. Vnde ex omnibus supradictis apparet cauendum esse à Capitulo 75. Alphonij Regis in Sicilia, dum vult, quod aliqui delinquentes extrahi possint ab Ecclesia per iudices suos Officiales temporales in quibusdam casibus in prædicto Capitulo enumeratis.

6. Restat modò respondere ad argumenta, quæ pro sua confirmanda sententia Sarpus adducit. Et ad primum argumentum: quod cum tales delinquentes non gaudeant Ecclesiarum immunitate, illa nullo modo violatur, si in Ecclesia comprehendantur. Respondeo negando consequentiam: nam licet crimina exceptuata non protegantur ab Ecclesia, non sequitur ex hoc delinquentes in ipsa comprehendendi & inde extrahi

Sup. hoc supra in Ref. 61. §. 2. & in Ref. 64. §. Ad doctrinam. & infra in Ref. seq. lege §. Nec valet. & inferius in tr. 1. & ex Resol. 16. Vnde de §. Secus. & ex Ref. 102. §. 12. & 3.

Quæ hic est prima post præteritam